



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XXVI. De Congregatione de propaganda side Catholica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

CAPUT XXVI.

De Congregatione de Propaganda Fide Catholica.

1. Gregorius XV. erexit hanc Congregationem.
2. Qui illi intersint.
3. Quod sit Officium Congregationis.
4. Habet annuos suos proventus.
5. Quando & ubi habeatur Congregatio.
6. & 7. Qui in Palatio & Collegio de propaganda Fide alantur.
8. Habet Congregatio peculiarem Typographiam.

I.

QUEMADMODUM semper Pontifices & Curia Romana summo studio contenderunt per Episcopos, Vicarios Apostolicos, Inquisitores & Missionarios Fidem Catholicam in iis Orbis partibus, in quibus jam promulgata fuit, illibatam conservare, & in aliis etiam Regionibus, in quibus hæc hodie exulat, apud Ethnicos, Infideles, Schismaticos & Hæreticos propagare, ideo Gregorius XV. sicuti priori sæculo erecta fuit Congrega-

grega-

gregatio pro exortæ Fidei conservatio-
ne, de qua egimus *Capite 16*. Ita hoc
sæculo Anno 1622. instituit per Consti-
tutionem suam 26. *Inscrutabili* Congre-
gationem de Fide Catholica per totum
Orbem propaganda.

2. Interfunt huic Congregationi ali-
quot Cardinales, unus Protonotarius
Apostolicus, Secretarius Status, Judex,
qui esse solet Referendarius utriusque si-
gnaturæ Assessor S. Officii & Prælatus
aliquis qui Secretarius est Congregatio-
nis, cum nonnullis Religiosis.

3. Officium hujus Congregationis est
investigare in vias & modos, quibus
vera Fides Catholica in omnibus mun-
di partibus propagari & conservari pos-
sit, eaque omnia quæ ad hunc finem
conducere possint, curare, & si quæ res
controversæ inter Missionarios occur-
rant, eas relatis ad S. Pontificem rebus
gravioribus, summariè & de plano de-
cidere & expedire; Ideoque amplam &
liberam habet facultatem disponendi de
Missionibus omnibus ad prædicandum
Evangelium institutis, Missionarios diri-
gendi, & per Regionem distribuendi, Mi-
nistros illis necessarios constituendi, &
deponendi. *Greg. XV. Const. 26. Inscrutabili.*

4. Ne

4. Ne vero res tanti momenti defectu mediorum tardaretur, sed potius majore cum fructu & celeritate promoveri posset, assignavit Pontifex Gregorius XV. *l. c.* ex Camera Apostolica in hunc finem annuos eosque liberales proventus, indulstque *Constit. Cum inter*, ut literæ omnes, instrumenta, Chirographa & qualescunque Scripturæ hanc Congregationem ejusque reditus concernentes gratis omnino & absque ulla mercede expedirentur.

5. Voluit præterea idem Gregorius XV, ut Congregatio illa haberetur quolibet Mense semel coram Pontifice, & bis saltem in Curia antiquioris Cardinalis eorum, qui ad hanc Congregationem spectant, nunc vero ea haberi solet in Palatio Collegii de propaganda fide, in quo Secretarius cum aliis inferioribus Ministris & Officialibus stabilem & fixam obtinet habitationem.

6. Exstructum hoc Palatium est tempore Urbani VIII. amplissimum à Congregatione ad radices montis Pincii in campo Ss. Trinitatis de monte, in quo erectum est Collegium ad instar Collegiorum, quæ pro Germanis, Græcis & Anglicis aliisque Nationibus hæretica labere

be

vel Schismate infectis fundavit Gregorius XIII, quod pariter Collegium de propaganda fide appellatur, in quo adulescentes conversi, seu oriundi ex Regionibus ad Fidem Orthodoxam reductis, in bonis literis ac moribus, linguis etiam sacris & orientalibus instituuntur, ut deinde in patria, vel alibi, ubi Congregatio judicaverit, tanquam idonei operarii & Missionarii Fidem Catholicam conservare ac propagare possint.

7. Recipiuntur quoque in hoc Palatio Missionarii, qui ex Provinciis suis veniunt Romam, ut S. Pontificem ipsamque Congregationem de statu Missionis informent, & opportuna media fidem propagandi suggerant. Præterea admittuntur ad illud conversi, qui pietatis causa ad limina Apostolorum accedunt; Eodem demum divertunt Sacerdotes, & Episcopi pauperes, quibus, quæ ad sustentationem necessaria sunt, largè suppeditantur.

8. Habet quoque Congregatio eodem in loco peculiarem Typographiam pro imprimendis Missalibus, Breviariis, aliisque ad fidei Catholicæ doctrinam spectantibus libris, in linguis etiam peregrinis & Orientalibus, qui deinde per

eas

in eas Regiones disperguntur, in quibus
usui esse possint. *Const. Greg. XV, De Luca
Rel. Rom. Cur. Disc. 23. Lunad.*

C A P U T XXVII.

De Congregatione Indulgen-
tiis & sacris Reliquiis præ-
posita.

1. *Erexit hanc Clemens X. eique facultates concessit.*
2. *Potest abusus corrigere &c.*

I.

ERexit Clemens IX. Anno 1669. edi-
ta Constitutione 36. In ipsis Congre-
gationem Cardinalium quorundam ac
Prelatorum aliorumque virorum Reli-
gione, pietate, doctrina & rerum usu
eximiè præditorum, quæ sacri Indalgen-
tiarum thesauri curæ, & dispensationi,
sacrarumque reliquiarum recognitioni,
disquisitioni, ac rectæ dispositioni pecu-
lariter incumberet, cum facultate om-
nem difficultatem, ac dubia circa
Sanctorum reliquias, aut Indulgentias
emer-